Castellanus [illegible]

Nieszporkowicz Ambrosii: Fortunatus per
mundi mare ad terram viventium
in gentilitia navi trajectus.

FORTVNATVS
Per mundi mare, ad terram Viventium,
IN GENTILITIA NAVI
TRAIECTVS,
Illustrissimi, & Excellentissimi Domini,
D. CONSTANTINI TOMICKI,
Castellani Vielunensis;
Dum illi,
Post enavigatum Vitæ labentis oceanum,
Iacta in Portum æternitatis anchorâ,
In Clari Montis Basilica Fratrum Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ,
Depositis Mortalitatis Exuvijs,
In Lectissima, & Inclytissima Hospitum Illustrissimorum frequentia,
Anno Dñi. 1684. *Die* 24. *Octobris,*
Iusta persolverentur;
Inter Mortualis apparatûs illustres umbras,
Superiorum Permissu.
In Decade Symbolorum adumbratus
Per
Fratrem AMBROSIVM NIESZPORKOWITZ,
Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ Professum.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Necnon Illustr. ac Rndiss. Dni. Episc. Crac. Ducis Severiæ, Typogr.

30.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ VALEVSCIORVM DOMVS.



HOc etiam tempore (*Anno mundi* 325.) ab Adam, Seth & hujus ſtirpis nepotibus duæ Tabulæ, vel COLVMNÆ factæ, una ahenea, (juxta alios lapidea, ſive marmorea) contra aquæ eluviones, altera lateritia contra ignis conflagrationes, in quibus Literales Artes, præſertim doctrina de DEO, & Mathematicæ. In earum altera, promiſsionem de ſemine id eſt Chriſto, Adæ factam cælatam ſcribunt. *Genebrardus tomo* 1. *Adæ Seculo.*

PERILLVSTRI ac MAGNIFICO DOMINO,

D. STANISLAO WALEWSKI,

VEXILLIFERO SIRADIENSI,

Domino ac Patrono Colendissimo,

Vitam, & Felicitatem.

P*Ræuiam, eamq́ fatidicam benevolentiæ Tuæ conciliatricem ad Te dirigo n AVEm puppi, proraq́ carentem* Perillustris ac Magnifice Domine, *collectam* Illustrissimi, *&* Excellentissimi Domini CONSTANTINI TOMICKI, *Castellani Vielunensis, post enavigatum mortalitatis ejus oceanum, Classem, ad Gentilitiam Tuam religaturus Columnam. Vltra Calpen, & Abylam columnas Herculis, apud Te quæsitum illi præsidium, quo congenita Tua Comitas, & Humanitas, Gratiarum, ac scientiarum coronata choro provecabat, amicam datura stationem, & fauorem. Vel ex eo potissimùm ad Te pertinere hic congestam ornamentorum supellectilem arbitraberis, quòd eam in Illustrissimi Senatoris Domo adamaveris, & Gentilitijs Tuis splendoribus, cumulaveris, in vitæ individuam societatem Filiam eius* Mariannam Tomicka, *pretiosam, Domus Inclytissimæ Gemmam, & Gratiam assumendo; atq́ ideo cùm Te tanti Patris non pudet, quin ornat, esse Generum, & huic paginæ Patronum, & Amicum fieri, non pigebit. Favetis illi, ut Literatorum sapiens, & Literarum arbiter, qui Liberalibus disciplinis, rerum experientia, variarum scientiarum & Linguarum apud exteros comparata notitiâ tersissimum limando judicium, & ingenium, ad sublimioris sapientiæ arcana pervasisti, quæ ut, orbis Sarmatici legantur oculis Gentilitiæ Columnæ, veluti adamantinis tabulis inarasti. Erexerat olim, tertio mundi seculo, Sanctior Adami Sethique progenies aheneam, contra undarum eluviones, lateritiam contra injurias ignis Columnas, in quibus liberales artes præsertim doctrina de DEO, & disciplinis Mathematicis, tum de semine, id est Christo Adæ facta promissio, cælata fuit, ut si aut de cœlo ultor ignis peccata Gygantum puniturus descenderet, in latentia superstite Columna, traditionis non interiret notitia; aut si undarum illuvies orbem mergeret, characteribus notatæ non obliterarentur scientiæ: Certè non æneam aut marmoream, adamanti nam Gentilitiam Columnam nec flammis aut ferro, nec undis obnoxiam, tam vetusta mihi figuravit traditio, in qua Liberalium artium, Humaniorum, ac severiorum scientiarum monumenta, Legum statuta, Prudentiæ ac Sapientiæ specimina, totamq́*

Humanarum ac Divinarum scientiarum Encyclopediam exaravit, cælavitq; profundè Illustrissimæ Domûs Tuæ Genius, & ingenium, ut illam omnis in Te fateatur, qui Te in Regni Tribunalibus Deputatum Iudicem, decernentem æqua, discernentem dubia, discutiētem ambigua; ac Oracula sapientiæ pandentem audivit, aut in Generalibus Regni, particularibus Palatinatuum, Terrarumq; Comitijs salutaria, ex prudentiæ dictamine promentem consilia vidit. Non satis est exarata hic, suoq; diademate coronata legere sapientiæ monumenta. Et Fortitudinis trophæa ni Gentili Columna oculis usurpanda adjecisti, cùm alias sæpiùs, tum in Chotimensibus campis contra superbam Orientis Tyrannorum colluviem, primarum cohortium Ductor, adverso in omnem fortunam pectore, impigrè processisti, ut pro Aris, & Focis pugnando Te legitimum virtutis VALEVSCIÆ Heredem Orthodoxæ Fidei non degenerem Filium, Civem Patriæ fidelem probares, aut si ita cœli tulissent placita, DEO, Patriæ, Domuiq; Tuæ purpuratus, ac cœlestibus coronis inaugurandus Victor, vitâ, sanguineq; litares. Quam pulchro in Te fœderantur nexu TOMICIORVM, ac VALEVSCIORVM Domus Illustrissimæ, ideo neq; hic separari debuerunt. Admitte ad Columnam Tuam Stationem, quin & amicam Tuam expetentem manum hanc paginam, Manum illam nunquam otiosam fortem in bello in pace liberalem; Manum illam quam sacris matrimonialibus vinculis inservisti, ut ex utraq; Illustrissima Domo, Sancta Patrum Sanctorum propago surgens, vobis in seris Nepotibus vitæ perennitatem prorogaret. Quod cùm in præsentis opusculi Prophasi exopto, obsequia mea & Religiosa ad Illustrissimæ Domûs Tuæ, Tuumq; cultum, & Venerationem obstringo.

Perillustris ac Magnificæ
Dominationis Tuæ,

Honoris Studiosissimus
Exorator,

Fr. AMBROSIUS NIESZPORKOWITZ,
Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ
Professi.

Fortunati per mundi mare ad terram viuentium In Gentilitia Naui TRAIECTVS,

Illustrißimi & Excellentißimi Domini,

D. CONSTANTINI TOMICKI,

Castellani Vielunensis.

SYMBOLVM I.

Illustrißimæ & Inclytißimæ Tomicianæ Domûs

CLARITVDINI.

ACtuarium maius, per mare vastum vndiq; tenebris coopertum, Genius Illustrißimæ Tomicianæ Domûs assidens gubernaculo, in altum promouet, quod trinis, in malo, puppi, proraq; fulgens luminibus vmbras circumfusas dißipat.

Lemma:

Proprio de Lumine fulget.

ACCOMMODATVM.

F*Vit obseruatum Lumen in Prætoria Naui, quod cætera Classis prosequitur, spectatissimum insigne noctu fuisse. Scipio in Affricam transmissurus velis in altum datis singula rostratæ naui, Prætoriæ tria lumina dedit.* Alex. ab Alex. Dierum Genialium Lib. 4. c. 2.

LAMPADOPHORIA.

Accendite Lumina,
Cùm ad mundi vesperam atra nox incubet

Inclytiſsimi Tomicianæ Illuſtriſsimæ Domûs Heredes
In fulgente auro, natalium, virtutumque explicate
Soles, Oneraria;
Quo Vos ad Regionem Lucis, veluti Filiorum Lucis
Patriam, pertinere doceatis,
Fulgetis in Patrij cœli firmamento
Virtutum, meritorum, Dignitatumq; luminibus,
Nec in conſortium fatuos admittitis ignes, & phenomena
Quæ tam diu ludunt & illudunt, dum blandiuntur, ſpectatorum oculos,
Dum miniſtrat alimentum fortuna.
Addit & ex mortualibus vmbris fulgorem
Illuſtriſsimus & Excellentiſsimus Dominus,
D. CONSTANTINVS TOMICKI
Caſtellanus Vielunenſis,
Hic in Ludo Lampadophorio Luce ſervata ad vitæ metam, Victor,
Natalium claritudinem, quam in primo ætatis flore
Patriarum, & Externarum Diſciplinarum notitia,
Politicæ, Philoſophicæ, ſcientiæ peritia cumulaverat,
Citra omnem labem, ac umbram ſervavit.
Huc Illuſtriſsimæ Myſzkowſciorum Aquilæ, dum plena lucem illibatam, hauriunt palpebra
Reſpicientes, cum magnanimi Leonis, Crucisq; ſplendoribus properantes
In Gentilitia ſolea firmam ſtationem fixerunt
Dum Te,
Illuſtriſsima & Excellentiſsima D.
AGNES DE MIROW MYSZKOWSKA,
In Lectiſsimam, & Dilectiſsimam Conſortem
Sacris Matrimonij fœderibus ſibi copulauit,
Tot conſpirantibus in unam Claritudinem ſolibus
Cœlis terrisq; infulget illuſtrior
Gentilitia Tomiciorum Nauis,
Quæ Virtutum ornamentis plena, monſtrat,
Quòd ſecum ubique nullo inquinatam nævo
Suæ Serenitatis pharum vehat.
In alto mortalitatis mari tanta Lux
Mortis atro turbine circumfuſa, & Cinere,
Sub cinere mortalitatis, fulgorem, & ardorem fouet,
Cùm ei ſumma nox, æternæ lucis præuia,
Lumina clauſit, non extinxit.

SYM-

SYMBOLVM II.

Illuſtriſsimæ Tomicianæ Domûs RELIGIONI.

ACtuarium grandius in cujus medio Ara Coronata, cum varijs virtutum ſimulacris, ſereno cœlo, & mari tranquillo fauente, proſperè nauigat. &c. Genius Coronatus Sacerdotem agit. &c.

Lemma,

Proſperitas ex Præſidibus!

ACCOMMODATVM.

B*Ruti Navis Prætoria quo ab alijs dignoſceretur, O ſignum habuiſſe fertur, tametſi ſingulæ Naues Deorum Imagines ferrent, ſub quorum eſſent tutela.* Alex. ab Alex. Genial. Dier. Lib. 4. cap. 2.

SACRARIVM.

Ne putes in terram tantum Numinibus poſſe fundari Lararia
Et in hac Gentilitia Naui coli amant,
Quam fecerunt virtutes Sacrariam.
Viros, virtutes animatas crede,
Illum ad meliorem vitam Prometheum animatorem habuerunt,
quem Religionis amatorem,
Non monſtra, non idola vehit,
Quæ tantum ornari, adorari, orariq; ament,
Sed Virtutes, Præſides, & Præſidium.
Venerationem illis tribue, ne impius,
Præconium, ne invidus,
Amorem, ne improbus audias.
Feliciùs vos provehitis, quàm cum ſua Fortuna Cæſar
Stirpis Tomicianæ Illuſtriſsimi Nepotes!
Præiuit in virtutum comitatu
Illuſtriſsimus Vielunenſis Caſtellanus,
In cuius perauguſto pectore ſuum Religio conſecrauit Pantheon,
Quo factum vt ejusdem Magiſtræ ſecutus dictamina,
Templis varijs nitorem, Apparatui Eccleſiaſtico augmentum & decorem, ſuperis cultum,
Laboribus, ſumptibus, conatibus, deuotionis exemplis, tantæ virtutis Alumnus promoueret,
Vnde tantopere ſibi devinctum,

Postquam in Hospitio vitæ mortalis benè de se exulem
meteri docuit
Cœli Civem fecit.

SYMBOLVM III.

Illustrissimæ Tomicianæ Domûs FORTITVDINI.

NAuigium in quo Heròés, cataphracti milites, tormenta, vexilla, & omnis bellica ordinatissima supellex, contra Piratarum imminentem Classem pansis carbasis procedens &c. &c.

Lemma.
Non capit imbelles!

ACCOMMODATVM.

N*Aues sunt maximæ, septem aliquando subordinatas habent mansiones, aliquas vidi quolibet Gallione maximo duplo maiores, ordinariè sexaginta tormenta bellica maiora deferunt: quando in Indias proficiscuntur, mille aut circiter homines vehunt, tam nautas, quàm milites in India mansuros: potiùs ibi videtur Ciuitas, quàm Nauis.* Philippus à SSma Trinitate Carmel. Discalc. Itinerarij Orient. Lib. 5. cap. 2. fol. 233.

NAVMACHIA.

Animos durate adamante, & Pectora
Nauis Tomicianæ Heroes!
Dum per mundi mare
Mors, & Mars,
Dolus & Fortuna,
Omniumq; vitiorum fœderatæ cohortes.
Piraticam exercent.
Sed tot obvia hostium portenta sveti vincere,
Vt Fortitudinem vestram victorijs probaretis,
Mortem & Martem,
Triumphali gloriæ ancillari fecistis.
Norûnt Chotimenses in Polonia, Vienenses in Austria,
Strigonienses in Pannonia campi,
Hujus Gentilitiæ Nauis Heroum auxilia,
Quæ dum Orientis detonantem armorum procellam retundit,
Gloriæ,

Gloriæ, Victoriæ, Triumphiq; æternam mercem revehit.
Tot Fortitudinis Maiorum specimina,
Proprijs exemplis auxisti,
Illustrisime Heros Constantine Tomicki
Castellane Vielunensis,
Armorum Victor, & Animorum.
Dum par magno, sibiq; semper constanti
Nomini, & animo subservit constantia
In Martis acie, & stadio virtutis
In bellis pro Religione, Patriaq; gestis imperteritam,
In Senaculis, inviolatam
Fortitudinem demonstrâsti.
Et hoc maximum supremæ Fortitudinis argumentum est
Pro DEO, Rege, & Patria,
Bellis manum, caput, & pectus;
Animum pro Iustitia fraudum, ac affectuum præstigijs objecisse.
Post partam hac virtute gloriam, vt fortis cecidit,
Non tamen labefactatum putes, quem per mortalitatis contemptum,
ad immortalitatem eluctatum credis.
Non otiosâ Fortitudo, quæ prensat victorias
Non vana Victoria, quæ triumphum canit,
Vtrumq; habet dum triumphat,
Quod vitam in mortis Piratica,
Non amisit, sed mutavit.

SYMBOLVM IV.

Illustrissimæ Tomicianæ Domûs GLORIÆ.

IAson cum Heroibus nauigat Colchis cum aureo vellere &c. Argo loquax, &c. Columba præuolat Heroũ Dux &c.

Lemma.

Merces pretiosa laboris!

ACCOMMODATVM.

ARgo dicitur fuisse prima Nauium, quâ Iason Tiphys, Castor & Pollux, & alij (quos inde Argonautas dicimus) profecti sunt Colchos ad rapiendum vellus Aureum. Hanc Nauem Poëtæ multis ornant Epithetis; vocant inprimis fatidicam, & loquaculam, quod beneficio Mineruæ facta sit ex quercu Dodonæa, quam Sophocles ait non tantùm

fuisse verbosam, at etiam futuri præsagam, vt in periculis Argonautas moneret. Theatrum Philosoph: Rauisij Text. Lib: 4. cap. 75.

Tradunt gentiles Heróès Argonautas columbâ quasi duce itineris vsos. Cornel. à Lap: in cap. 60. Isaiæ.

CELEVSMA.

Virtus otiari nescia, non tantùm partis incubat.
Maioribus inhiat, quærit, & audet,
Vbi vrget pulchra gloriæ cupido.
Merces laborum Gloria, Vellus aureum est.
Hæc Reges initiat, & Principes,
Si Duce Superno Spiritu cum cœlesti fœderatur vt pedisequa, quæ terrenis eminebat vt Domina.
Canite Celeusma Argo Tomicianæ Iasones,
Qui Virtutum prouentibus, meritis, vt Aureo gloriæ immortalis vellere Clasſem impleuistis.
Fatidica spernitis Dodonæa robora,
Virtutis honestique secuti dictamina!
In vna Vobiscum Classe, quæsiuit
hunc laborum fructum, gloriam,
Iasone Tiphyque generosior
Illustrissimus Constantinus Tomicki Castellanus Vielunensis.
Non ideò minùs gloriosior, quòd Vobis partam reliquerit,
Cui eandem non relinquere fuisset in gloriam.
In HonoremSenatori suo seruiuit Innocens terræ Vielunensis Agnus,
Qui generositate leonibus, & pardis antecellens,
Lanam illi in vellus, etiam aureum tulit.
Suapte indole grauem, maturum, Virtutibus meritisque plenum,
Cum Argo gentili non pressit fortunæ sequioris procella
Quia suauiter nauigat, cui fauonios cœlum adspirat:
Ità cum Honorum, prouentibus naufragari
in mortalitatis mari non debuit
Qui mortalis, in cœlo immortalitatis
sibi portum præfixit.

SYMBOLVM V.

Illustrisimæ Tomicianæ Domûs PRVDENTIÆ.

VLysses cum socijs nauigat. Scillam, & Charybdim præter-

præternauigauit magnâ vſus prudentiâ &c. Hinc Quaſi Victores Claſſem, & capita diadematibus coronant: &c.

Lemma:

Seruat ſapientia tutos.

ACCOMMODATVM.

DEmonſtrarûnt antiqui quod in Ethicis ſcribit Ariſtoteles, Virtutem eſſe mediam inter duo extrema, quorum extremorum vtrumq́; eſt vitium. Nam cùm ex altera parte Scylla, & altera Charybdis grauiſſima monſtra in Siculo mari nauigantibus ſint deuitanda mediumq́; inter vtrumq́; tenendum, is tandem incolumis euadit, qui neutram in partem magis declinauerit. Cùm enim vita mortalium ſit tanquam longa nauigatio, in qua permultæ occurrunt difficultates, multæq́; variorum monſtrorum illecebræ, neq́; difficultatibus, neq́; illecebris cedendum eſt, ſed omnibus moderatio adhibenda. Theatr. Philos. Rauis: Text: Lib. 8

ELOGIVM.

Errantibus & Illuſtriſsimos comparaueris ſideribus
Quos humanæ vitæ ſapientia Dux non gubernat.
Minus eſt alijs, natalium ſplendoribus, antecellere,
Si ignauæ mentis cœcitatem Sapientia non illuſtrat.
Calligant abſque hac luce Serenitates,
Et in vita noctes numerant non Soles.
Quàm pulchra lucis ambitio,
Vel à peregrino ſole illuſtrari voluiſse.
Ad Veſtræ laudis pertinet plenitudinem
Illuſtriſsima Sarmatici Orbis Lumina Tomicij,
Quòd ad Sapientiam comparandam ſub ſole peregrino
terrarum peruagati ſpatia,
Eas ad eruditionem illuſtriſsimi Veſtri Genij
Academias, Stoas, & Palæſtras inuiſiſtis,
Quæ Vos ad Magna Patriæ ſolatia & auxilia
Formarent & informarent.
Vt in Vobis ſua Polonus haberet Orbis,
In terrarum Regnique Comitijs,
Oracula, Sapientiæ, & Miracula,
Quibus authoritas Legum defendi
Bonum publicum promoueri poſset.
Redis iterum, in ſapientiæ laudem,
Illuſtriſſime Caſtellane Vielunenſis.

Cum Te Senacula Comitiorum Consum Sarmatiæ experta sunt,
Publicis admouerunt functionibus, quod priuata postponentem viderunt:
Post Dignitatem Siradiensis Dapiferi,
Iudex terræ Vielunensis constitutus,
Ea rerum momenta ponderabas prudentia
Quam aut priuati boni, aut affectuum respectus
in obliquum detorquere non potest.
In Areopago quoque Poloniæ, seu Tribunalibus,
Sapientia suffragabatur Iustitiæ,
Quæ cùm doceat vnicuique reddere quod suum est,
Ne in tam arduo munere in te ipsum iniurius esse videreris,
A te ipso auspicabaris justitiam,
E tot honorati laboris functionibus meritorum
prouentus comparando.
Maximum animi Sapientiâ, ac Prudentiâ politissimi, iudicijque,
rerum experientiâ limatissimi argumentum fuit,
Suscepta, pro Ecclesiæ Patriæque bono,
bina in Moschuam Legatio,
In qua Liberalem erga Patriam & Animum & fortunam
vt probares,
Curis & studijs, Laboribus & impendijs non parcebas.
Hoc in Te constantis animi Symbolum,
Ita Te Senatorem egisse, vt quemadmodùm antecedentium factus es, imago, sis exemplar futurorum.
Superabat post terrenarum dignitatum curules sublimius
subsellium, quod cum dare terra nequîsset,
cœlum dedit.

SYMBOLVM VI.

Illustrissimæ Tomicianæ Domûs FELICITATI.

NAvis redimita coronis. Fortuna in puppi, Genius Tomicianus serto redimitus una manu tegit gubernaculum; desuper anchoram manus de cœlo porrigit, quam altera Genius tenet; quod doceat consummatam felicitatem Illustrissimæ Domûs è cœlis pendere velle &c.

Lemma:

Superum de munere felix.

A C-

ACCOMMODATVM.

EX antiquorum ritu tutelas & Deos in puppi Navis consecrabant, vt ea quoddam tanquam sacrarium essent, vel sacellum. Itá initio cursûs velleribus, festa fronde verbenis sertis in Deorum honorem puppes ornabant, ut & alijs templa ferijs solebant ornare. Lœtitiæ, securitatisq́ animi signum est coronare Naves, id enim facere solebant nautæ, cùm præsertim aliquo migrarent, ut se aliquid boni consecuturos sperarent. Pontanus Symbolarum Libro 9. ad 4. Æneid: ex Turnebo, & Nascimbæno.

ANCHORA.

Fide! sed Vide!
Alterutrûm perdit; vtrumque salvat!
Vtrumq; in mundi mari cùm ambiguum est,
Non securum.
Animum in cœlum fige, & Anchoram felicitatis jecisti,
Sed
Qui mortalibus æternam felicitatem decreuit,
Et temporalem quandoq; non negauit;
Quam habuisse, infelicitatis erit,
Nisi in vitæ cursu prospero ad cœlum contendas
Proinde
Felices qui portum æternitatis anhelant;
Feliciores qui attingunt;
Felicissimi qui comprehendunt.
Dicant alij
Quidquid sub cœlo est, non esse omni ex parte beatum,
Aliter judicabit arbiter animus,
Qui in Illustrissima Tomiciana Prosapia
Supernam felicitatem cum terrena, sanctiori
Virtutum vinculo sociatam videt.
Ne tamen rectum virtutis cursum, in terram viventium directum,
sequior vis in transversum agat,
Anchoram, Symbolum felicitatis apud veteres, cœlum dedit.
Ab hac in turbulento mundi mari, pendebat
plena Virtutibus Oneraria.
Illustrissimi D. Constantini Tomicki Castellani Vielunensis.
In quo sublime genus, Fortuna clementior,
Amplitudo Senatoriæ dignitatis, terrenisque rebus
maior animus, tantùm eminebat,
Quantum ad prensanda supernæ felicitatis fastigia
sufficere potuit.

Absit hinc Troiæ Palladium,
Vbi Virtus illius vicem occupans,
Felicissimam æternitatem spondebat.
Crede temporalem felicitatem, æternæ suffragari posse;
Quam cùm Illustrissimus Senator ambitu glorioso
supernis inhians, contempsit;
Non amisit, sed præmisit;
Et disce:
Ex arbitrio tuo æternum felicem, vel infelicem fieri, pendere.

SYMBOLVM VII.

Illustrissimæ Tomicianæ Domûs SANCTITATI.

GRandius Actuarium in cujus medio Ara sacro flagrans Igne. Vittatus, veterum Sacerdotum ritu, Mysta Heróës Nauem integram, & maris circumfluentes aquas, undis adspergit lustralibus &c.

Lemma.

Lustrantur in undis!

ACCOMMODATVM.

SI Classes, naualesq́ copiæ lustrarentur, dispositâ classe in littore, Aram, quæ mari abluebatur, construere convenit, in qua Sacerdotes victimas cæderent, mox circumstante exercitu, cæsam victimam, atq́ exta per classem in littore dispositam, naviculis circumferrent, cum solenni carmine & precatione Ducibus unà insidentibus in staphes, divisæque hostiæ partem in mare cum visceribus proÿcerent, partem verò flammis adolerent, eo modo Classem lustrári, & calamitates depelli opinati. Alex. ab Alex. Genial. Dier. Libro 5. cap. 25.

LVSTRATIO.

Sacra Lustrationis indixêre Flamines,
Luctum publicum ideo temperandum jubent.
Adeste socij Lustrationi,
Quæ ad Sanctitatem initiat!
Absit superstitio, quæ impiat.
Te hic appellat actus, & dies,
Illustrissimi Tomiciorum propago generis
Magne Senator Constantine!

C Cujus

Cujus claritudini cùm nullam ætas induxit fuliginem,
Mortalitatis conditio pulverem adſperſit,
Dant dolentium, & amantium pupillæ
Iuſtas luſtratione lacrymas,
Vel ſi hæ non ſuffecerint.
Illis, à vitæ Fonte gratiarum undas mercantur.
Meruerunt uberiorem illius laticem
Illuſtriſsimi Aborigenes,
Cùm Templa, & Aras
Alia fundârunt; nitori priſtino reſtituerunt, alia,
Aut erogatis impendijs, intendentes cultui Divino ſacrorum Miniſtros cumulârunt,
Non minus fortes, & victores in acie
Quàm in ſenaculis prudentes, juſti in Tribunalibus,
Vbique Sanctitatis imaginem præferentes,
Quam in Te Integerrimæ, ac Incorruptæ vitæ Senator,
Domi, foriſq; relucentem
Orbis ſpectauit ſarmaticus.
Sed præcipuè eandem Divinitatis Alumnam Sanctitatem in te ſpectauit
Tibi quemadmodum electus, dilectusque,
Ità ſæpius devotionis causâ frequentatus
Mons Clarus,
In quo Sanctitatis Increatæ Matrem veneratus,
Tenerrimæ conſcientiæ anxietates lacrymis pœnitentialibus, veluti luſtralibus undis ſæpius expiabas.
Tam mite ingenium, & indoles ſuapte naturâ ad Sanctitatem prona, tum apud DEVM & cœlites,
Tum apud Amicos & ſubditos
Amorem conciliabat.
Date gemitus amica Sanctitati pectora,
Et ſi ejus Luſtrationi lacrymas dare non poteſtis,
Veſtræ date.

SYMBOLVM VIII.

Illuſtriſsimæ Tomicianæ Domûs MAGNIFICENTIÆ.

CLaſsis Onerata pretioſiſsimis mercibus auro, argento & ad portum appellens ſub veſperam. In hac varia variorum colorum vexilla, in quibus colligatarum cum Illuſtriſ-

ſima Tomiciorum Domo Familiarum inſignia Columnæ, Aquilæ, Leones Soleæ &c. &c. ex Civitatibus, ad littus maris vicinioribus, concurſus populorum, & occurſus, feſtivi accenſi ignes & pyræ, &c. &c.

Lemma:

Prodeſt, dum adeſt.

ACCOMMODATVM.

N*Aves Regis ibant in Tharſis cum ſervis Hiram, ſemel in annis tribus, & deferebant inde Aurum, Argentum, & Ebur. Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges terræ, præ divitijs & gloria. Omnesq; Reges terrarum deſiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent Sapientiam quam dederat DEVS in corde eius: & deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata &c.* 2. Paralip cap. 9.

Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione, cogitatio, atq; adminiſtratio: id eſt executio, ut ſcilicet amplo propoſito adminiſtratio non deſit. S. Thom. 12. q. 128. Artic 1. in corp. *Magnificentia convenit cum Fortitudine in hoc, quod ſicut fortitudo tendit in aliquòd arduum, & difficile, ità etiam & Magnificentia.* Idem ibid q. 134. artic. 4. in corp.

THEATRVM.

Huc oculi, qui invidia non lippiunt, livore non cœcutiunt!
Huc animi!
Iucundum cœlo terræq; ſpectaculum,
Opulentum, & amabile
Explicat Illuſtriſsima Tomiciorum Proſapia
Gentilitiam Navim,
Non poma, aut abjecti animi, & ignaui, quiſquilias,
Sed pretioſam Sapientiæ, & Fortitudinis mercem,
Quæ ad virtutis Magnificentiæ pulchrum nomen ſubſervit.
Non hic veniunt in comparationem Magnifici,
Cùm magni nihil egerint, nudo ſibi & paupere nomine blandientes,
Aurum & Argentum, quo Patriam ornet, ditetque
Hæc Claſsis vehit,
Viros Magnificentia ſpectabiles judica,
Qui inæſtimabilibus Sapientiæ, & Fortitudinis dotibus,
pretium cùm addunt auro,
Aurea excelſis, & ampliſsimis cogitatibus, & conatibus

Patriæ

Patriæ ſecula moliuntur.
Exeſte hinc prodigioſi luxûs Monſtra,
Caligulæ Navigia & Cleopatræ;
Hic
In amplisſimâ Claſſe Palatia, Hortos, & Pomeria,
pulchrum ſordidi luxûs ſpectaculum condidit,
Illa
In Siciliam navigans, vella purpurea ventis, ſericeis nidentes,
Remos argento exornatos, qui percuſsi ventis, clangorem
tubarum imitarentur, exhibuit,
Infame Ægyptiorum Regum ſolij probrum
Inter puellarum ni Nympharum formam
Ornatarum choros ſub aureo petaſo reſidens,
Aureis circumquaq; fuſa thuribulis odoramenta captans,
Omnia in tucum dedit.
Adeò portentoſa vanitatis crepundia
Cedunt Gentilitiæ Tomiciorum Onerariæ,
Quæ ſpecioſa, & pretioſa in cælum transmittit merita,
Dum ſumptus, liberali animo ad cultûs Diuini
promotionem prodigit.
Acceſsit ad imitationem Maiorum, & futurorum exemplum
Vir æternitatem meritis complexus,
Petrus Tomicki,
Qui Præmislienſis, Poſnanienſis, Cracouienſis Epiſcopatûs
cathedras, ſub tot Infulis cùm Virtutibus Pontificali-
bus exornâſset, & Eccleſias pretioſis orna-
mentis auxit.
Non humiles cum illuſtriſsimo ſanguine Maiorum imbibit Spiritus.
Illuſtriſsimus Conſtantinus Tomicki,
Qui in Bonorum ſuorum Eccleſijs,
In Comitijs & Tribunalibus,
In ſublimiorum dignitatum curulibus,
In Pauperes largitionibus,
In Subſidijs, Conſilijs, Auxilijs,
Magnificentiæ theatrum explicat,
In quo ad cœlum gradum ſternit.

SYMBOLVM IX.

Illuſtriſsimæ Tomicianæ Domûs IN PATRIAM AMORI.

CLaſsis auguſtior ex qua ad fortalitij præſidium in lit-

tore maris positum armatorum educuntur copiæ totaque bellica supellex &c. &c.

Lemma:
Aris devota, Focisque.

ACCOMMODATVM.

QVæ Navis apud Athenienses erat SALVTIS indicium, in Thesei memoriam coli consveverat, singulisq; annis Delon mittebatur Apollini cultum allatura, suscepto olim à Theseo voto huiusmodi, si Ciuibus suis unâ secum salvis reversus esset. Eoq; interim tempore quo Sacerdos Apollinis Navis eius puppim coronaverat, & Delon ea profecta esset, pelagoq; remenso in Patriam rediisset, cautum erat Atheniensium lege ne quemquam publicè interficerent. Pierius Hieroglyphic. Lib. 45. cap. 4.

VINCVLA.

Et Libertas amat compedes,
Quos DEI Patriæq; amor inijcit;
Nec timet servitutis tam augustæ probrum,
Sic enim servire, regnare est.
In tam dulcia transit vincula
Liberæ Tomicianæ gentis Oneraria,
Quam DEVS & Patria cum amat, captivat;
Cum Dignitatibus ornat, & honorat, coronat.
Honoris, non oneris sunt vincula
Quæ cùm Amor cordibus inijcit
Cœli, Patriæque Torquatos facit.
Penderis non ut ab ore Herculis Gallici perorantis,
auribus, alligati ut torquibus,
Sed DEI Patriæque amantis corde, cordibus conclusis,
Vt jam, quod amantium proprium est,
Quod Velle, & Nolle, DEI Patriæque est, sit & vobis idem.
Et quia argumentum amoris est executio operis,
Palam DEO Patriæque fecistis quo apud
Vos DEI cultus, amorque Patriæ loco esset,
Dum varijs occasionibus pro eo aut defendendo,
aut promouendo,
Sumptus & labores prodegistis;
Vitâ vestra potiorem probâstis,
illam in omnem Martem & Mortem prostituendo.
Parem magno Nomini, in
DEI Patriæque amore, constantiam demonstrâsti.

Illustrissi-

Illuſtriſsime Conſtanti, Senator integerrime,
Priuatus in Conſilijs, Publicus in Comitijs,
Quæ ad DEI cultum debita, ad integritatem Patriæ proficua
Cogitando, promouendo:
Et cum acie cum hoſtibus pugnatum,
Vel ſanguine conſignare votum erat.
Amorem Tibi nunc rependat DEVS,
ſed æternum;
Amorem Patria!
Quæ cùm Te cœlo dederit,
Abſentis vel memoriam amabit.

SYMBOLVM X.

Illuſtriſſimæ Tomicianæ Domûs ÆTERNITATI.

Argo in Cœlum inter ſidera relata.

Lemma.
Merces æterna laborum!

ACCOMMODATVM.

T*Antopere gratam eſſe Dijs omnem mortalium beneficentiam demonſtrabant antiqui, vt inter ſidera collocâſſe memorauerint, Nauim Argon, quia tot Heroas incolumes in Patriam reuexerit. Hanc conſilio Palladis factam fuiſſe inquiunt; vt per hoc ſignificarent omnem beneficentiam, quæ quidem cum ratione ſuſcipitur gratam eſſe Dijs immortalibus, maximeq́ laudabilem. &c.* Theatr: Philoſoph: Rauis: Text: Lib. 8.

NAVLVM.

Aliorum Naues nouos veſtigant orbes, terras, & merces,
Veſtra cœlum
Illuſtriſsimi Tomicij
Honoratiorem illi dare locum terra non potuit
Dedit cœlum
Cùm inter ſiderum phalanges conſtituit.
Niſi forte enauigatis ſalſi maris undis
Dulcioribus quæ ſuper cœlos ſunt, aquis innatet;
Sed requiem amat, dum portum tenet.

Fortè pretiosiorem Noëo & gratiorem cœlis judicabis Nauigio,
quod totum tulit orbem,
Quòd ei cœlum non in Armeniæ, Montibus,
Sed in æternitatis collibus sedem dedit,
Tot Heròës cœlo, Patriæque bono tulit.
Si Æneæ Naues mare in Nymphas vertit,
Tomicianam Argo cùm Domûs Illustrissimæ in Beatitatis portum exonerabit merita,
mutabit in sidus.
Tanti eam cœlum æstimat,
Vt terris indignam putet.
At longè majori cœlis estis in pretio,
Quod nimis avarum cùm sit
Animas in Naulum petit.
Iam Cœlo terrisque Naulum solvit, cùm debitum mortalitatis solveret,
Illustrissimus Senator,
Terris mortale corpus, quod perdi potuit;
Cœlis animam immortalem consecrauit.
Quæ Mundi salsum sulcatis mare,
Amica pectora,
Si ei in hujus navigationis ærumna cursum felicem precabamini
In æternitatis beatæ portu gloriam gratulemini.
Vos appellat, & exorat
Vltimum dicens Vale
Illustrissimi, Reverendissimi, Admodùm Reverendi Perillustres,
Illustres, Magnifici, Reverendi, Omnium Ordinum,
& Statuum
Conciues, Cognati, Amici, & Subditi!
Quotquot ad ultimum obsequium funeralibus adestis honoribus,
Parcite Luctibus & lacrymis,
Et vos in æternitatis ambiguæ cursu,
de salute dubios cogitate!
Et mementote
Quòd communem mortalitatis emensus viam
Vobis non discessi, sed præiui.